



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Figuræ, & Symbola. Ex Veteri. Ex Novo, & Patribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Plerumque ufuuenit; ut, quod homines
adultâ etate fugit; hoc puer inueniat: & quod
eruditos praterit; indoctis in mentem ueniat:

& quod Magistros fefellit; discipulis occurrat:
S. Joan. Damasc. orat. quodd ij, qui cum fide ex
hac uita excedunt &c.

TITULUS XIII. S C R I B A. S E U S C R I B E R E.

Ipsa scriba uelox. 1. Esdrae 7. 6. q. d.
Esdras Legis Mosaicae erat peritissimus; in
eaque docenda, & explicanda, promptissimus.
Scriba ergo idem est, quod Legis peritus, uel
Legis Doctor. Sicut Graeci omni suos sapientes
uocabant Philosophos, Chaldaei Magos, Galli
Druidas, Indi Brachmanes Gymnosophistas;
ita Iudaei suos Doctores uocabant scribas, Cor-
nelius hic.

Lingua mea calamus scribae. Pl. 44. 2.
Quare linguam suam dixit esse calamum scribae?
quia quod lingua dicitur, sonat, & transit; quod
scribitur, manet. S. August. in Pl. 44.

Et arundinem in dextera eius. Math.
27. 29. Arundinem, siue calamum, ab illu-
dentibus accipere non recusauit; ut sacrilegium
scriberet Iudaeorum. Sancti. Rupertus l. 13. in
Joan. 19.

Et in calculo nomen novum scriptum
Apoc. 2. 17. An non lat erat, ore enuntiari?

cur insuper scribitur? scriptum nomen Joannis,
ob indelebilem firmitatem: quia nomen ejus
scriptum in libro uita.

Si utilitatem hujus operis, scilicet manu
scribendi, recte perpensis; profecto fateris, de-
cere, uel decuisse, Deum Majestatis, quod figu-
rarum hujusmodi, scilicet literarum, non alius,
quam ipse, primus auctor exitit. Quid enim
est in omni Mundo, in uniuersa multitudine re-
rum, uel signorum uisibilem; quod humanae
menti ad cognoscendum creatorem suum, tam
efficax, tam utile, tamque certum praebeat ar-
gumentum? Rupertus de uictoria uerbi l. 3. c.
23. & c. 25. Ecce, quam paruo auxilio, quan-
tum Deus, & Verbum ejus, subuenit generi hu-
mano! Viginti duae tantum, sicut jam dictum
est, literae sunt: ecce, de impensis tam par-
uis, quam magnum extructum est adifi-
cium!

TITULUS XIV. S. S C R I P T U R A.

§. I.

Figure, & Symbola.

Ex Veteri.

In principio creauit Deus caelum, & ter-
ram. Gen. 1. 1. Terra est scriptura, quae
produxit omne lignum pulchrum uisu, &
ad uescendum suauē. S. Bonaventura f. 16.

Ipsa autem reuebit aquas amarissimas.
Num. 5. 18. Aqua amara diuina scriptura di-
citur: quia peccantibus non parcat; & iustis
dulcis, quibus aeterna praemia repromittit: &
ita alius aqua benedicta est, alius maledicta. V.
Beda hic.

Lingua mea calamus scribae. Pl. 44. 2.
Calamus filius est, duosque vertices gerit, in
unius acuminis tenuitate digestos; unam lite-
ram ut oque conficiens: cui si unum adimas,
alterius est inanis usus. Unde recte Testa-
menta sunt duo. S. Zeno Veron. f. de somnio
Jacob.

*Extendens caelum sicut pellem; qui te-
gis aquis superiora eius.* Psalm. 103. 23.
Quid caeli nomine, nisi S. Scriptura, signatur?
de qua nobis & sol sapientiae, & luna scientiae,
& ex antiquis Patribus stellae exemplorum, at-
que uirtutum, lucent? Quod sicut pellis exten-
ditur: quia per scriptores suos carnis lingua
formatum, ante oculos nostros & per uerba
Doctorum exponendo displicatur. Quid uero
aquare nomine, nisi, sanctissimi Angelorum
signantur chori? S. Gregor. hom. 9. in Ezech.
circa finem.

*Leuari oculos meos ad monte; unde
ueniet auxilium mihi.* Psalm. 120. 1.
Oculos nostros cum leuamus ad scripturas,
quia per homines ministratae sunt scripturae;
leuamus oculos nostros ad montes; unde uen-
iat auxilium nobis. Sancti. August. tr. 1. in
Joann. Scriptura sacra mons quidam est, de
quo in nostris cordibus, ad intelligendum, Do-
minus uenit. Richardus à Sancti. Vict. Prologo
in Cant.

Terra

Terra autem in aeternum stat. Ecclae. 1. 4. Sacra scriptura terra appellatur: instar enim terrae immobilis est, fructus gignit, omnibus patet, ac omnes accipit. Olympiodorus hic.

Meliora ubera tua vino. Cant. 1. 1. Duo ubera, duo Testamenta intellige; à quibus lactentur Ecclesiae filii; lingua, atque mente; corde, & ore. Philo Carpath hic.

Introduxit me Rex in cellaria sua. Cant. 1. 3. Quid per hujus sponsi, qui Rex est, cellaria intelligimus? nisi sanctae scripturae arcana, quae rimamur? nisi sanctae contemplationis mysteria; quorum deliciis si reficimur, mox convalescimus. Sanct. Gregorius hic.

Favus distillans labia tua. Cant. 4. 11. Hunc favum congerit anima de diversis scripturae floribus: hos perquirat, his infidet; de eis suavitate spiritualis dulcedinis extrahit, & elicit. Richardus à S. Viçt. hic.

Ex Novo, & Patribus.

Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. Matth. 13. 44. Videtur ager esse scriptura, consta manifestis historiae verbis, & legis, & Prophetarum. Porro thesaurus in agro absconditus; sunt reconditi, & sub manifestis verbis latentes, sapientiae in mysterio reconditi sensus. Origenes hic.

Divina scriptura, Mundus quidam est intelligibilis, suis quatuor partibus, velut quatuor elementis, constitutus: cujus terra est velut in medio, imòque instar centri, historia: circa quam aquarum similitudine abyssus circumfunditur moralis intelligentiae: circa quas historiam dico, & Ethicam, aer ille naturalis scientiae circumvolvitur, quam Graeci dicunt Physicam. Extra autem omnia, & ultra, aethereus ille igneus ardor empyrii caeli, hoc est, supernae contemplationis divinae naturae; quam Graeci Theologiam nominant, circumglobatur. Origenes hom. 2. de diversis.

Mare est scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Prophetarum anigmatum; in quod mare plurima introierunt flumina &c. S. Ambros. ep. 44.

Harum molarum operatione, id est, novi, ac veteris Testamenti, hoc agit S. Ecclesia curam per vigili: ut, peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat; & caelestibus mandatis mundata, ex intimis spiritualia alimenta producat. S. Gregor. Naz. hom. 2. de adv.

Est quidem sacra pagina pharetra quaedam spiritualis; in qua sagittae acutae, & ignitae, latent. Hanc nemo Deo militans derelinquat. Just. de calto connub. c. 6.

Quid sunt aliud divina eloquia, nisi quaedam lilia, emanantia candorem puritatis, & gratum puritati spirantia odorem suavitatis? Sanct. Amedeus Ep. hom. 6.

Tota scriptura est quasi una cithara. Et sicut chorda per se non facit harmoniam; sed cum aliis: similiter unus scripturae locus de-

Polyanth. Sacr. Tom. II.

pendet ab alio; imò unum locum respiciunt mille loca. S. Bonaventura f. 19.

§. II.

S. Scripturae dignitas, laudes.

Disce ar Dei in verbis Dei. S. Gregor. cor. M. ep. 329. his verbis Theodorum medicum invitat ad studium sacrarum literarum.

DEUS iterum suam erga illos (homines) amicitiam innovare volens, quasi longè absentibus literas mittit, conciliaturus sibi universam hominum naturam. S. Chrysof. hom. 2. in Gen.

Nihil in S. Scriptura invenire licet, quod absque ratione aliqua sit scriptum. Id. hom. 28. in Gen.

S. Basilii in Psalm. 59. Libros sacros appellat dona divinitus missa, & cibum animarum.

Est sacra pagina sapientiae verbi speculum, divinitatis armarium. Sanct. Laur. Just.

Sunt sacri libri arma Clericorum, Ecclesiarum divitiarum, & thesauri doctorum; tubae sacerdotum, solatia Religiosorum, epulae devotorum, testamenta sanctorum, organa Spiritus Sancti. Thom. Kemp. conc. 20.

§. III.

S. Scripturae utilitas.

Num. I.

Cibus.

SCRIPTURA sacra, cibus, & potus, est. S. Gregor. l. 1. hom. 10. in Ezech. 3.

Bona pasqua sunt libri sunt scripturarum caelestium; in quibus quotidianam lectionem pacimur; in quibus recreamur, ac reficimur: cum ea, quae scripta sunt, degustamus; vel summo ore libata frequentius ruminamus. His pascuus grex Domini faginatur. S. Ambros. Octon. 14. in Ps. 118. sub initium.

Bibitur scriptura divina, & devoratur scriptura divina; cum in venas mentis, ac vires animae, succus verbi descendit aeterni. Sanct. Ambros. in Psalm. 1. sed in lege Domini ante finem.

Scriptura divina, convivium sapientiae est; singuli libri, singula sunt fercula. Sanct. Ambros. offic. c. 32.

Est scriptura mensa Domini purissima. Petrus Cell. l. de panib. c. 9.

Num. II.

Medetur.

S. Augustinus in Prologo super Psalmos, ait, scripturam divinam hac de causa à Spiritu Sancto conscriptam, ut, velut ex communi quodam sanitate fonte, omnes nobis ex hac remedio propriis passionibus assumamus. Ad sacrarum scripturarum gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est; ubi dolorum certa remedia. S. Hieron. in Joan. 11.

S. Athanasius divinos libros appellat variam medicinalium librorum sapientiam.

Kkk k 2

Nulla